7

Noverint universi. Quod Ego Margarita uxor Johannis Miralles parrochie sancti Danielis extra muros Gerunde, que causa matrimonii intravi mansum
Miralles dicte parrochie in quem mansum nupsi dicto Johanni Miralles viro meo, Gratis et ex certa sciencia de consensu et voluntate dicti viri mei inferius
firmantis et consencientis convenio et facio me feminam propriam et solidam vestri venerabilis et religiose domine Sibille de Canneto mo-
nialis et sacristane monasterii sancti Danielis extra muros Gerunde, et dicte vestre sacristie et succedentium vobis in eadem
una cum omni prole mea nata et nascitura, ac rebus et bonis meis mobilibus presentibus et futuris ubique pro eo quia intravi dictum
mansum Miralles causa matrimonii, in quem mansum nupsi dicto Johanni Miralles marito meo domino utili et proprietario dicti mansi
Quiquidem mansus pro dicta sacristia, et vobis eiusdem nomine directe tenetur, et de quo manso dicta sacristia et vos ipsius nomine habetis
et habere debetis homines et mulieres et alias servitutes. Et sic promitto vobis dicte venerabili domine Sibille de Canneto, et succedentibus
vestris in ipsa sacristia, quod ero vobis et dicte sacristie et dictis vestris succedentibus, bona fidelis et legalis de corpore et avere, et
de omnibus iuribus dicte sacristie pertinentibus et pertinere debentibus quoquomodo. Et quod non intrabo causa habitandi aliquam civi-
tatem villam castrum vel aliquem locum privilegiatum vel non privilegiatum, nec aliquid aliud faciam tractabo vel procurabo per que dicta
sacristia seu vos aut succedentes vestri in eadem possent aut possetis ius et dominium que in me et prole mea nata et
nascitura et rebus ac bonis meis mobilibus presentibus et futuris habetis et habere debetis amittere, et aliquis sibi adquirere
quoquomodo. Obligando ad hec vobis et dictis vestris succedentibus in dicta sacristia personam meam et omnia bona mea habita et habenda
ubique. Et propterea —————— facio et presto vobis homagium ore et manibus comendatum iuxta usum et consuetudinem huius
patrie, iurans etiam sponte per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia et singula
rata grata et firma semper habere tenere et facere, eaque attendere et complere, et non contrafacere vel venire aliquo iure
causa vel racione. Et ego dictus Johannes Miralles maritus dicte Margarite predictis consencio et ea firmo et laudo. Actum
est hoc in Monasterio sancti Danielis extra muros Gerunde die vicesima secunda mensis Januarii anno a nativitate domini Mil-
lesimo Quadringentesimo Tricesimo secundo. Signum mei Margarite predicte, que hec firmo laudo et iuro. Signum mei Johannis
Miralles consencientis predicti, qui hec firmo et laudo. Testes huius rei sunt discretus Guillelmus Ciruelli presbiter beneficiatus
in ecclesia Gerunde et Petrus Sac famulus parrochie sancti Danielis Gerunde. Testes vero de firma dicti Johannis Miralles, qui
predictis consensit Gerunde die undecima mensis novembris anno predicto a nativitate domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo
secundo sunt Petrus Bugarii Baguda, et Johannes Fonquera scriptores Gerunde.

...o Bugarii Flary ça Sala, notarius publicus auctoritate Regia substitutus a Jacobo de Campolongo
quondam publico Civitatis bajulie et vicarie Gerunde suarumque pertinenciarum notario, hec scribi
feci et clausi. Cum supraposito in linea vij, ubi dicitur eidem. Et cum raso et emendato in
linea xviij, ubi dicitur consensit.

n.º 1110

a 29 Gener 1432

T 205 x 302

n. 7. de plecruite: sacristia de S.t Daniel

(1209)